potuit: aut qui non in illis rebus exercitatus
animus callere iam debet: atque omnia minoris exi-
stimare: an illius uicem credo doles: quotiens in
eam cogitacionem necesse est: ut tu ueneris:
et nos sepe incidimus hisce temporibus non
pessime cum iis esse actum quibus sine dolore licitum
est mortem cum uita commutare. Quid autem
fuit: quod illam hoc tempore ad uiuendum ma-
gnopere inuitare posset: Que res: Que spes:
Quod animi solatium: ut cum aliquo adolescente pri-
mario coniuncta etatem gereret: licitum est
tibi credo pro tua dignitate: ex hac iuuen-
tute generum deligere cuius fidei: liberos
tuos te tuto committere putares: An ut ea libe-
ros ex sese pareret: quos cum florentes uideret: leta-
retur: qui rem a parente traditam per se tenere possent:
honores ordinatimque in re pu. petituri essent: in
amicorum negotiis libertate sua uti: Quid horum fuit
quod non prius quam datum est: ademptum sit: At uero malum
est liberos amittere: nisi hoc peius sit: hec sufferre
et perpeti. Que res mihi non mediocrem consolationem attu-
lit: Volo tibi commemorare: si forte eadem res tibi
dolorem minuere possit. Ex asia rediens cum ab
egina megaram uersus nauigare: cepi regiones